¶ VITA EGESIPPI EX DIVO HIERONYMO DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

EGeſippus uicinus apoſtolicoꝝ tempoꝝ, & omnes a paſſione dñi uſq; ad ſuam ætatem, eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaq́; ad utilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinq; libros compoſuit, ſermone ſimplici: ut quorum uitam ſectabatur, dicendi quoq; exprimeret characterem. Aſſerit ſe ueniſſe ſub Aniceto Romam, qui decimus poſt Petrum epiſcopus fuit, & perſeueraſſe uſq; ad Eleutherium eiuſdem urbis epiſcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerat. Præterea aduerſum idola diſputans, ex quo primum errore creuiſſent, ſubtexit hiſtoriam: ex qua oſtendit, qua floruerit ætate. Ait enim: Tumulos mortuis templaq́; fecerunt, ſicut uſq; hodie uidemus: è quibus eſt & Antinous ſeruus Hadriani Cæſaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatē, quam ex eius nomine condidit, & ſtatuit prophetas in templo. Antinoum autem in deliciis habuiſſe Cæſar Hadrianus ſcribitur.